



Conradus Franconiæ dux clarissimis uirtutibus insignis effecit, ut Otto 1. Cæsar ei suam filiam uxorem daret. Erat enim non solum magna fortitudine præditus, uerum etiam singulari prudentia & facundia ornatus. Vnde res plurimas Imperij suæ fidei commissas sceleriter suscepit, & pari successu ad finem perduxit. Accidit autem anno Christi 955. quod Hūgari Germaniam popularentur, atq; ingenti exercitu castra ad Lechim Sueuiæ fluiuium figerent. Itaq; Otto Imperator hisce obuiam progressus, cum hoste prælio decertare statuit. Id cum Conradus percepisset, Francos suos adhortatus copias collegit, & ad Cæsarem Augustā peruenit. Eius præsentia Ottonis exercitus mirum in modum exhilaratus fuit. Hinc factum ut ordines instruxerint, atq; huic Conrado quartum Christianorum agmen commendarint. Contigit etiam in prælio, cum Christiani in octo agmina diuisi essent, atq; Vngari sextum, septimum, & octauū ferè deuicissent, quod Conradus subito accurrens prælium renouarit, atq; suos animatus hostes procul remouerit. Postea ad Ottonem reuersus instar fluminis omnia prostrauit, atq; magna uirtute effecit, ut tandem uictoria Christianis cesserit. Cum autem pugnando fessus incaluisset, atq; armis paululum semotis uires & spiritum resumere statuisset, ex improuiso aduolante sagitta letale uulnus accepit. eius dolore quoq; princeps æterna gloria dignus occubuit. Corpus eius Vuormatiam ductum, atque honorifice sepultum fuit. Crantz. in Sax. lib. 4. cap. 5. 6.